





PROG. AMMA INAVGVRALE
QVO
SVSCEPTA
TIT
DE
VERBORVM
SIGNIFICATIONE.
ET
REGVLIS IVRIS
PROFESSIO EXTRA-ORDINARIA
INTIMATVR
SIMVLQVE
AD LECTIONES
IN ILLVM TITVLVM
PVBLICAS
OMNES IVRIS CVLTORES
QVAM HVMANISSIME
INVITANTVR.
A
GODOFR. REINOLDO KOESELISIO
PHIL. ET IVR. VTR. DOCT. DE VERB. SIGN
ET REG. IVR. PROFESS. PVBL
EXTRA-ORDINARIO

PROGRAMMA INAUGURALE

DUO
SUSCEPTA

TIT

VERBORVM
SIGNIFICATIONE

REGVLIS IVRIS

PROFESSIO EXTRA ORDINARIA

IN IURIS

ARTIBVS

AD LECTIONES

IN IURIS

PUBLICAS

OMNES IVRIS CULTORES

QUAM IN MANUS

ADMITTIT

GODOLF. REINOLDO KOSSELIO

PHIL. ET IUR. ADR. DOCT. DE AGR. SIG.

ET REG. IUR. PROFESSOR

EXTRA ORDINARIO





Q. D. B. V



erba ualere, sicut nummos, tritum est, & in uulgus notum prouerbium, idque tantam ubique habet auctoritatem, ut non tantum in communi loquendi ratione obseruari debeat, sed & in qualibet arte respici. Hocce neglecto, homines nec inuicem recte conferre, nec negotia sua rite expedire queunt. Immo tanti hoc prouerbium est ualoris, ut nulla sit disciplina, in qua sibi non aliquem uindictet locum. Vocabula qui non callet, aut negligit, a longo jam inde tempore, in qualibet disciplina, usu recepta, quæque uulgo *terminorum technicorum* nomine venire so-

A 2

lent,

lent, nec res, quarum sunt signa, intelligere potest, nec cum aliis istas communicare. Et hoc est, quod in praesenti potissimum exemplo *Iurisprudentiae* nobis erit demonstrandum. Sunt quidem non nulli, omne juris doctrinae praesidium in affectata quadam, uerba legum recitandi, promptitudine quaerentes, ac, dum hoc praestant, legis peritorum titulo sibi blandientes, qui, pro uerbii huius ualorem, in Iurisprudentia, nullum esse, contendunt. Verum enim uero, licet illi uituperandi non sint, qui legitimae scientiae elementa, ipsis legum uerbis inclusa, ediscendo memoriam exercent, & haud exigua ICI sit gloria, cum ipsis legum uerbis loqui; (a) minime tamen, in eiusmodi nuda uerborum legis recitatione, ueram & solidam Iurisprudentiae notitiam consistere; sed potius accurata uerborum, quibus leges continentur, cognitione, atque interpretatione absolui, nemo, nisi barbarus, & omnium rerum plane ignarus, negauerit. Et huius asserti nostri ueritas magis magisque confirmatur per expressa Pauli Iuuentii Celsi uerba: *Leges scire, inquit, non (hoc) est, uerba earum tenere, sed*

a) In punctis iuris erubescendum est sine lege agere aut loqui, arg. l. 19. C. de Collat.

sed uim ac potestatem. (b) Quid autem, quæso, his uerbis sibi uult ICTus? Profecto nihil aliud, quam quod prouerbio isto exprimitur, nimirum, non nuda uerba in iuribus attendenda esse, sed potius ualorem eorum respiciendum, idque uel ob hanc unicam rationem, quod ualor uerborum tantus sit, quantus nummorum. Vt enim hunc qui ignorat, ipse sibi fraudi est, damnumque incurrit; ita quoque is, qui uim ac potestatem uerborum legis non curat, facillime in legem impingit, fallit falliturque. Quippe eiusmodi homines haud dissimiles sunt pueris cum pecunia ludentibus, & hoc unico contentis, quod eam habeant, licet nesciant, quem in usum atque finem sit causa: Immo monialibus optimo sunt comparandi iure, quæ hynnum, latino idiomate conscriptum, uel aliam formulam recitant, illius tamen tenorem non intelligunt, adeoque dant sine mente sonos. Et eiusmodi neuiquam nomine ICTorum sunt digni, sed potius in rabulistarum, irrationaliumque leguleiorum classem referendi. Cum itaque, ex hactenus dictis, luce meridiana clarius, pateat, tritum illud prouerbum: *Verba ualere, sicut*

A 3 *nummos,*

b) conf. l. 17. ff. de Leg.

nummos, in *Iurisprudentia* omnino obtinere, summoque iure sibi locum in ea uindicare, nec non diligentissimam declarationem atque excusationem uerborum, in iuribus quibuscunque occurrentium, requirere; uideamus nunc, in quo nam hæc uerborum legis excusatio potissimum consistat? Sciendum uero est, *uerborum uim ac potestatem excutere in Iurisprudentia, nihil aliud esse, quam in intimos disciplinae iuris penetrare recessus.* In hoc autem uerborum interpretandorum studio ad tria potissimum respiciendum est: *Primo*, ad uerborum origines, unde *tractatio Grammatica* ortum habet, propter ea, quod in uocis conceptione sapius ipsius rei natura lateat: (c)

Secun-

-
- c) Huic Ulpianus, qui Athenæo nominum uenator dicitur, Lib. I. Instit. iuris fundamenta propositurus, ita orditur: Iuri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Conf. L. i. ff. de J. et J.
De Caio testatur Gellius, Noct. Attic. Lib. XI. Cap. 17. Plures eum libros, de Origine Vocabulorum, composuisse.
Conf. Paganinus Gaudentius de Philosophia apud Rom. Cap. 42. p. m. 106.

Secundo, despiciendum est de ipsa uocis significatione, unde *tractatio Philosophica* est, quod scilicet illa denotare soleat, cum una uox sæpissime modo hoc sensu, modo alio accipiatur:

Tertio denique, in uim uocis iuridice est inquirendum, quod *tractationem iuridicam* uocant, & hic potissimum usus fori spectandus uenit, & uidendum, quam significationem ex impositione forensium uerba fuerint consecuta. Et ideo tam principia consuetudinum uniuersalium, quam particulares locorum mores inuestigari debent. Hi tres uero uerborum ac iurium interpretandorum atque excutiendorum modi coniunctim sumendi sunt, neutiquam uero diuisim, nec uni uel alteri duntaxat inhærendum est. Etenim, qui inter *Grammaticas* quæstiones subsistunt, legibus uix & ne uix quidem operam nauare uidentur: (d) nèque ii suo rite perfunguntur officio.

d) Hanc in rem quam plurimorum JCorum adduci possent testimonia, sed sufficiat in præsentem unicum saltem ex JCro Viglio adduxisse: Isti, inquit, contentores, quantumuis eximie in literis eruditi, quid,

officio, qui *Philosophica* uerborum considera-
tioni nimium tribuunt, eo quod hæc ad inutiles
argumentationes, immo ad damnosas cauilla-
tiones sapissime deducant, (e) illæ uero legi-
bus interpretandis plane non sufficiant. Nec
etiam, philosophice si res mere tractatur, ad ge-
nuinas rerum ac iurium definitiones, diuisiones-
que peruenire possumus; cum tamen ab his,
tanquam a primis iurisprudentiæ elementis,
omnes reliquæ, amplissimi huius studii partes,
progressiones ulteriores, amplioresque profes-
tus, pendeant. Necesse itaque est, ut tres
istos interpretandi modos simul adhibeat, qui
cum consummatissimo ICto, Baldo (f) leges
rite interpretari, ueramque illarum significatio-
nem, & adæquatam eruere studet. Arduum
igitur ac summe necessarium est studium, quod
circa

quæso, offerunt, quo nos in Jure Ciuili instruant.
Consule de urbana uel rustica seruitute, de testa-
menti jure, de familia herciscunda, referent for-
tasse, quid sit stillicidium, aut unde dicatur, uel
quid herciscundi uocabulum apud ueteres significa-
uit. &c.

e) Testis est Affricanus in l. 88. ff. ad L. Falcid.

f) uid. Baldus ad Rubr. de Verb. Signif.

circā expianationes uerborum uersatur, quo
uel eo difficilius in Iurisprudētia carere pos-
sumus, quo plura, & pene innumera, in Iuri-
bus, tam peregrinis, quam Germanicis, immo
& ipsis Dōmesticis, occurrunt uocabula, de
quorum ui ac potestate certo nobis nihil con-
stat, nisi ueram illorum significationem, ope
trium istorum interpretandi modorum, expo-
namus. Dīctis ut fidem faciamus, licebit ad
leges antiquas XII. prouocare Tabularum, pri-
sca conscriptas lingua. Has quis recte intel-
ligere, aut explicare rite poterit? nisi accura-
torem uerborum significationem compertam,
cognitamque habeat. Sic, in *Vltimis Volunta-
tibus, Legatis, Verborum Obligationibus, Stipu-
lationibusque*, & similibus explicandis, nemo
inoffenso progredi poterit pede, nisi ante o-
mnia in uerborum proprietates quam diligen-
tissime inquisiuerit. Et hoc est, quod etiam
Iuris Canonici conditores cognouerunt, ut uel
exinde uidere licet, quod, in Iure Canonico
conficiendo atque digerendo, non dubitarunt,
de *Verborum Significatione*, non nullos consigna-
re titulos. g) Et quid dicamus de *Iuribus*
B Patriis?

g) Hoc fecit Gregorius IX. Lib. V. Decretalium, & Boni-
Bon-



Patrius? Nemo sane in his magnos facere poterit progressus, nisi accuratiorem uerborum iuridicorum, quæ in iis occurrunt, cognitionem sibi acq̄suerit. Tot enim in istis iuribus obueniunt uocabula, totque loquendi formulæ, quibus incompertis, etiam res ipsæ, quarum sunt signa, ut nobis incognitæ sint, necesse est. (b) Atque huiusmodi uocabula & uerba non tantum in *luribus patriis antiquis* inueniuntur, sed etiam, ut supra iam obseruauimus, in *recentiori Germanorum Iurisprudentia*, quin immo, in ipsis *luribus Saxonis*, quam plurima illorum occurrunt, quæ accurata & solida opus habent cognitione, atque explanatione. (i) Et sane in promptu est, istorum magnum

facius VIII. in 6to. In Clementinis idem reperitur titulus, qui etiam in Extrauagantibus Ioannis XXII. exhibetur.

b) Sic dicitur affidationem in sponsalibus factam: confugisse aliquem ad Fridstoll: per affatomiam aliquem in rei donatæ possessionem immissum esse: & alia.

i) Conf. Morhoffii *Unterricht von der Teutschen Poësie* Cap. I. & Cicero Lib. XIV. Epist. XX. ad Atticum, ubi in eos inuehitur, quibus paria lingua est ignota. Et de Finibus Lib. I. circa initium: Mihi,

gnum adducere numerum; uerum cum spatii, quo circumscribitur programma, angustia, illud ipsum prohibeant, sufficiat ex multis portiora saltem indicasse. (k)

B 2

Sed

Mihi, inquit, nulli satis eruditi uidentur, quibus nostra ignota sunt.

k) Plenissima sunt Iura Germanica uocibus plane singularibus; uolumus saltem non nullas recensere ex Iuribus Saxonis. Sic dicitur *Abern / Land* = *R. Lib. III. art. 86. Achtbahrkeit / Land* = *R. Lib. II. art. 48. Acht / ibid. Lib. I. art. 38. Anfangen Anigwerden / Ammacht / Affer = Lehn / Angefelle / Andingen / Anen / Ausgeradet / Bann / Bannforst / Banc / Baure / Bauer = Meister / Bauer = Gulden / Befronen / Bescheidt / Beschreiten / Besorg einer Kirche / Benannt = Geding / Betagen / Beweissen selbst siehend / Bischoff = Lehen / Bürger = Ding / Bürgermeister / Burggraff / Burg = Lehn / Burgezüge / Büttel / Cramer / Creuz / Chur / Dingen / Ding = Pflichten / Ding auslegen / Dienst = Lehenmann / Drey = Vier = zehntag / Ehe / Ehe = Geld / Ehehaft / Eyde / Ebenbürtig / Erinnern nach todter Hand / Einschüttig Leut / Erb / Erb = Richter / Erb = Zinns / Fahrende Hab / Fahr = Lehen / Freye = Beut / Frey = Landsassen / Frummen / Fronbot / Gast = Gericht / Geding an Lehen / Zum Gut geböhren / Sampte*

Sed obiiciat quis, hæc omnia a præsentis se-
culi usu quam longissime esse remota, ita, ut,
inquisitioni significationis horum uerborum
tempus impendendo, oleum & opera perda-
tur. Verum enim uero, ut antiquissimorum,
& peregrinorum, domesticorumque expers,
atque ignarus iurium, in recentioribus uix ali-
qualem sibi acquirere potest scientiam, pro-
pter ea, quod hæc ope illorum sæpissime expo-
ni debeant; ita uocabulorum quoque, licet
in antiquissimis quibusque iuribus obuenant,
cognitionem negligere non possumus, nisi & in
ipsis iuribus, recens constitutis, hospites esse ue-
limus. Neque est, quod de dubia multorum
iurium, quæ u. c. in terris nostris, *Speculis Sa-*
xoni-

Sampte Hand/ Hand = Friede/ Handhafte
That/ Haus = Suchung/ Haut und Haar/ Helff-
Rede/ Heerfart/ Jahr und Tag/ Rinder = Jahr =
Zahl/ Riesen/ Knüttelschläge/ Kriegischer Vor-
mundt/ Kummer/ Königsbann/ Land = Erben/
Land = Sassen/ Leib = Zucht/ Mann = Geld/ Marck =
Höcken/ Marckstein/ Marg = Graff/ & quæ sunt
uoces, quarum aliæ ab antiquissimis Germanorum
moribus descendunt, aliæ hodie nouis inuentis ne-
gotiis, rebus, & agendi rationibus, demum nata
sunt.

xonicis, & *Suevicis* continentur, auctoritate aliquid regerant. Qui enim hanc ob causam ista iura inspicere detrectant, ii, ut *quotidianum ac communem dicendi usum* consulant, etiam atque etiam rogantur. Hunc enim respicientes ingentem uerborum obseruabunt copiam, (1) quorum accurata cognitio plurimum lucis ipsi Iurisprudentiæ afferre atque affundere poterit.

Cum e contrario uerba ista negligentes, & de ui & potestate eorum non cogitantes, ipsarum rerum, quæ iis significantur, imperitos manere oporteat; solo enim uocis ministerio utimur, (m) sine quo nihil plane in Iurisprudentiâ præstare atque efficere possumus. His itaque rite perpensis, neminem fore confido,
B 3 qui

1) Huc referendæ uoces : Blut-Baum / Zennet / Gericht / Landsiedelen / Krumm-Stab / Hoff-Guth / Gan-Erben / Wildfang / Fren / Gericht / Gerichtszwang / Gefamde Hand / Stapel / Niederlags-Gelder / Fürsten Recht / Vogten / & Sexcentæ aliæ.

m) Vid. Aelius Tubero in leg. 7. ff. de Supell. Legat.

qui inficias iuerit, titulum de *Verborum Significatione*, ipsis Pandectis adiectum, latissime patere, ita, ut ad eum exactissime perlustrandum atque excutiendum, non minus necessitas, quam utilitas, (n) quæ cum illius tractatione coniuncta est, nos adigat. Valeant itaque omnes isti, qui uocabulorum, in iuribus quibuscunque repertorum, receptorumque accuratam inuestigationem, rem ICTi dignitate inferiorem, solis Grammaticis committendam, atque relinquendam, arbitrantur, huiusque studii sectatores uituperandos potius, quam laudandos esse, iudicant. Nos imposterum dabimus operam, ut eo maiori studio atque diligentia ueram uerborum significationem indagemus, studiosæque iuuentuti exponamus, quo maiorem exinde iuris cultores percipere possunt fructum. Hæc enim mearum iam esse partium intelligo, probeque sentio, postquam,
DEO

n) De usu Critices in Iure, & de genuino significato uerborum, eiusque studii utilitate & necessitate uideri meretur Strauchius in Præfat. Lexico Particularum præmissa. Item Puffendorffius de I. N. G. & C. Lib. IV. Cap. I. §. 4.

DEO ita dirigente, POTENTISSIMO
SARMATARVM REGI, ATQVE PRIN-
CIPi ELECTORI SAXONIAE SERE-
NISSIMO, DOMINO DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO,

Domino meo longe Clementissimo, placuit,
die XXIV. Iul. A. O. C. M. DCC. XXIV
mihi facultatem extra ordinem docendi quam
clementissime committere, atque Professio-
nem de *Verborum Significatione & Regulis
Iuris* demandare.

Vt uero summam AVGVSTISSIMI
PRINCIPIS gratiam deuotissima sub-
mississimaque ueneror atque suspicio mente;
ita omnes ingenii studiique mei neruos in id
assidue intendam, ut spartam hanc, licet ma-
xime arduam, pro uirili exornem, suaque laus
gloriaque Academiae nostrae maneat. Et cum
maiorum more huius recens demandati mune-
ris capienda sint auspicia, *Lectiones meas Pu-
blicas, ad Titulum Pandectarum de Verborum
Significatione, Inaugurali hoc Programme, in-
dicare, simulque PER-ILLVSTRES DOMINOS*
LIBE-



LIBEROS BARONES, reliquosque GENERO-
SISSIMOS atque PRÆ-NOBILISSIMOS DO-
MINOS COMMILITONES, ut hisce Scholis,
futuro XXIV. Maii die aperiundis, maxima in-
teruenire uelint frequentia, humanissime inuita-
tos uolo. Dab. Vitembergæ d. XV. Mai
A. O. R. M DCC XXV

VITEMBERGÆ

LITERIS VIDVAE GERDESIAE



Wittenberg, Dics., 1725

ULB Halle
004 775 759



3


f

30 Stk.

SB

W 18
W 18 kat 12





706
26
19
1725
17
21

PROGRAMMA INAUGURALE

QVO
SUSCEPTA

TIT
DE

VERBORVM

SIGNIFICANTIA

REGVM

PROFESSIO

IN

AD LIBITUM

IN IL

PV

OMNES IV

QVAM

GODOFR. RE

PHIL. ET IVR. V

ET REG.

EXT

